Ein nicht weiter verfolgter Strang ist an dem betreffenden Punkt gestrichelt: der Austritt in die Axillarknospe ist durch ein Häubchen (⌣), der Austritt in den Blattstiel durch eine Klammer (⌒) bezeichnet. Die Spurstränge der successiven Blätter sind mit I, II etc., der Medianstrang eines jeden mit einem der Zahl beigesetzten M versehen.

Tafel VII. Figur 2. *Begonia tuberculata hybrida.* Schematische Darstellung des Strangverlaufs durch 4 Knoten eines vegetativen Stammstückes in der Horizontalprojektion. Markläufige Bündel fehlen in diesem Stück. Die Stränge a, b, c, d, e, f, g, h wurden nach oben nicht weiter verfolgt. Die Blattspuren der successiven Blätter sind b^1, b^2, b^3; II b^1, II b^2, II b^3 etc. Der Medianstrang ist immer mit ^{3} versehen. Ein Häubchen an der Endigung eines Stranges bedeutet dessen Austritt in die Axillarknospe. Ein Ringelchen zeigt die blinde Endigung eines Stranges an; diese Endigungen liegen in den vorliegenden Fällen immer im Mark.

„ Figur 3. Schematisch. *Begonia acerifolia;* Stammquerschnitt. Einkerbungen des Libriformringes, welcher nur durch eine Linie angedeutet ist; allmälige Lostrennung einiger Mestomstränge von dem Libriformring gegen das Mark zu.

„ Figur 4. Schematisch. *Begonia phyllomaniaca;* Stammquerschnitt. Uebergang von der Stellung eines Mestombündels in einer Einkerbung des Libriformringes bis zur vollständigen Markständigkeit.

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio una et tricesima. — Exponit W. Nylander.

1. Pannaria triptophylliza Nyl.

Thallus pallide lurido-cinerascens, tenuis, adnatus, microphyllinus, foliolis varie incisis subimbricatis, hypothallo nigro tenuissimo instratis; apothecia rufescenti-pallida (latit. 0,5—0,8 millim.), lecanorina, margine thallino tenui subcrenulato cincta; sporae ellipsoideae vel fusiformi-ellipsoideae, longit. 0,017—20

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0203-0

millim., crassit. 0,008—0,010 millim. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein violascens (thecae praesertim sic tinctae).

Supra saxum pumiceum parum supra terram eminens prope Mont-Dore in Arvernia (Lamy).

Species nulli alii affinis et notis datis satis bene dignota.

2. *Placodium tenuatum* Nyl.

Simile *Placodio murorum* minori, tenuiori, thallo et apotheciis vitellinis, radiis tenuibus applanatulis (latit. vix 0,2 millim.), dendroideo-divisis, subcontiguis. Apothecia vitellino-aurantiaca (latit. 0,2 millim. vel minora), margine thallino integro tenuiter cincta. Sporae longit. 0,013—17 millim., crassit. 0,005—6 millim.

Supra saxa calcarea ad Monspelium legi.

3. *Lecanora gilvolutea* Nyl.

Thallus albido-cinerascens subleprosus tenuis; apothecia testaceo-lutea biatorina plana subrugulosa marginata (latit. 0,5—0,9 millim.); sporae 8nae placodinomorphae, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,005—6 millim., paraphyses gracilescentes, epithecium luteo-inspersum (K purpurascens).

In Italia ad Florentiam, super corticem vitis.

Species prompte distincta, ex facie externa facile sumpta pro specie stirpis *Lecanorae parellae* aut *albellae*. Epithecium opacum subfarinaceum.

4. *Lecanora sulphurascens* Nyl.

Similis *Lecanorae pruiniferae* (et fere ejus subspecies), differens praesertim thallo bene sulphureo, albo-suffuso. Paraphyses graciles, minus distinctae. Sporae longit. 0,011—12 millim., crassit. 0,006 millim. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein thecae sordide luteo-violascentes. Spermatia arcuata, longit. 0,016—20 millim., crassit. 0,0005—0,0006 millim.

Supra saxa calcarea montis Baon Redoun in regione Massiliensi (Taxis).

Lichen elegans. Reactio CaCl + ut in *L. pruinifera*.

5. *Lecanora Riparti* Lam.

Thallus pallidus firmus tenuis subsquamuloso-areolatus, areolis minutis planiusculis difformibus contiguis aut subdispersis (K flavens), hypothallo nigricante tenuissimo; apothecia badio-

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0204-6

rufescentia subinnata (latit. 0,2—0,4 millim.), margine thallino integro cincta; sporae 8nae ellipsoideae vel oblongo-ellipsoideae, longit. 0,010—15 millim., crassit. 0,004—6 millim., paraphyses non bene discretae, epithecium luteo-fuscescens (e clavis paraphysum). Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein obscure vinose rubescens.

Graniticola in regione Lemovicensi prope St. Léonard (Lamy).

Species est affinis *L. subfuscae* (*campestri* Schaer.), facie vero peculiari thalli fere ut in *L. smaragdula*. Spermatia arcuata longit. 0,014—18 millim., crassit. 0,0005 millim.

6. *Lecanora nivescens* Nyl.

Thallus albus vel albidus, tenuis, granulosus, dispersus vel evanescens; apothecia fusca (vel variantia dilutiora), plana (latit. 0,3—0,5 millim.), margine thallino integro cincta, facile zeorina vel demum subbiatorina; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,005—6 millim., paraphyses mediocres. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein subvinose fulvescens (thecae praesertim tinctae).

Supra saxa granitica ad Nyslott in Finlandia (Carlenius).

Est species affinis *Lecanorae Hageni* vel *luridatulae*, mox vero distincta jam thallo diverso. Spermatia arcuata, longit. 0,016—22 millim., crassit. 0,0005 millim.

7. *Lecanora subintricans* Nyl.

Thallus vix visibilis; apothecia carneorufescenti-fusca vel obscure carneo-rufescentia (latit. circiter 0,5 millim. vel minora), margine thallino flavido integro cincta; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,004—6 millim., epithecium luteo-rufescens granulosum, paraphyses crassae articulatae. Jodo gelatina hymenialis leviter coerulescens, dein vinose fulvorubescens (thecae praesertim tinctae).

Super corticem fagi prope Mont-Dore (Lamy).

Est species e stirpe *L. sarcopeos*, mox distinguenda paraphysibus brevioribus (altit. 0,05 millim.) crassioribusque, sporis minoribus, etc. Gonidia jodo non tincta. Facie accedit ad *L. subintricatam*.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0205-2

8. *Lecanora acceptanda* Nyl.

Thallus pallidus vel pallido-cinerascens, laevis, tenuis, inaequalis, rimoso-diffractus, pro magna parte papillis mastoideis (latit. 0,3—0,5 millim.) conspersus, intus flavescens, passim subdispersus; apothecia badio-rufescentia adnata (latit. circiter 1 millim.), margine thallino distincto integro (demum flexuoso) cincta; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,023—27 millim., crassit. 0,011 millim., paraphyses graciles, hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein thecae violacee fulvescentes.

Super rupes graniticas vel gneissaceas madidas alpinas in Helvetia (Metzler) et Tyrolia (Arnold).

Nec K, nec CaCl ulla obvenit reactio thalli. Spermatia minutula, longit. 0,0015 millim., crassit. 0,0005 millim. Missa fuit sub nomine „*Mosigia gibbosa*“ (a cl. Metzler sic determinata), sed accedit affinitate ad *L. complanatam* Krb.[1])

9. *Lecanora melaplaca* Nyl.

Thallus fusco-niger vel nigricans vel castaneo-niger, opacus, sat tenuis, areolatus, ambitu squamulis applanatis placodioideo-effiguratus; apothecia nigra opaca innata (latit. 0,2—0,4 millim.), conferta, concaviuscula, demum emergentia plana, margine non distincto; sporae (in thecis myriosporis) minutulae ellipsoideae, longit. 0,002 millim., crassit. 0,001 millim., epithecium fuscum, paraphyses crassiusculae articulatae, hypothecium fuscescens. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Supra saxa micaceo-schistosa in alpibus Tyroliae, Oezthal (Arnold).

Species est affinis quodammodo *Lecanorae admissae*, facile vero distincta thallo placodioideo, minutie sporarum, paraphysibus et hypothecio. Thallus variat obsolete cinerascenti-suffusus. — Missa fuit ut „*Aspicilia cervino-cuprea*“ Arn. Ausfl. XV, p. 257, sed definitio ibi data nullo modo convenit; deinde in litt. declaravit eam esse „*cupreo-griseam*“.

---

[1]) Ad *Lecanoram Bockii* Rodig. pertinet *Lecanora sophodopis* Nyl. in Flora 1876, p. 233, ubi prima definitio plena speciei datur, definite stabiliens ejus locum in serie systematica generis (notis reactionis et spermatiorum respectis); addatur modo hypothecium esse fuscescens. Quae sicut *L. Bockii* datur in Arn. Exs. 662 est *L. mastrucata* Whlnb.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0206-8

10. Lecanora umbraticula Nyl.

Thallus virescens tenuis subleprosus; apothecia carneolutea vel sublutea (latit. 0,2—0,4 millim.), planiuscula, biatorina, intus albicantia (incoloria); sporae 8nae fusiformes, saepissime simplices, interdum tenuiter 1-septatae, longit. 0,008—16 millim., crassit. 0,002—3 millim., paraphyses submediocres, epithecium et hypothecium incoloria. Jodo gelatina hymenialis vinose rubescens.

Supra saxa calcarea umbrosissima in Hibernia occidentali ad Kylemore (Larbalestier).

Vix tamquam species distincta a *L. accessistante*, thallo licet alio, sporis tenuioribus. Spermatia conveniunt. Revera proxima *L. albocarneae*, quae accedit ad *L. Hutchinsiam* in stirpe *L. erysibes*. Sporae figurae ut in *Lecidea globulosa*.

11. Lecidea alborubella Nyl.

Thallus albidus vel albovirens, tenuissimus vel evanescens; apothecia carneolutea vel carneorubella (latit. 0,3—0,4 millim.), convexiuscula, immarginata, intus incoloria; sporae 8nae bacilliformes vel fusiformi-bacillares, 3-septatae, longit. 0,014—21 millim., crassit. 0,002 millim., paraphyses graciles, epithecium et hypothecium incoloria. Jodo gelatina hymenialis vinose fulvorubescens.

Supra saxa calcarea ad Kylemore (Larbalestier).

Species peculiaris e stirpe *Lecidiae bacilliferae*. Comparari possit cum *L. albovirella* Nyl. in Flora 1877, p. 567, sed thallus alius, sporae tenuiores, reactio jodi alia. Interdum apothecia percurruntur a gonidiis, syngonidiis cylindraceis erectis usque ad epithecium adtingentibus. Sic forma syngonidiorum mutatur e loco, ubi obveniunt, angustantur et elongantur inter paraphyses sursum protensa, in thallo autem sunt formae normalis glomerulosae [1]). Gonidia hymeniicolae etiam apud alias Lecideas haud nimis sunt rara.

---

[1]) Notetur hic obiter, gonidiorum ortum in cellulis (apud laxiores texturas in glomerulis vel syngonidiis glomerulosis) omnino ad prima elementa histologiae physiologiaeque Lichenum pertinere. Sic etiam eadem primitus in glomerulis cellulosis super prothallum nascuntur. Optime ceteroquin observatur ortus intracellularis eorum in marginibus thallinis apotheciorum vel in apotheciis ubi gonidia intrusa conspiciuntur in marginem proprium apud apothecia biatorina (leve momentum, quo niti admitteretur natura lecanorina Lichenum talia proferentium, nam casus intermedii non deficiunt, atque species

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0207-3

12. *Lecidea byssoboliza* Nyl.

Thallus virescens vel cinereo-virescens, opacus, tenuissimus, continuus, indeterminatus; apothecia carneo-lutea prominula (latit. 0,3—0,6 millim.), margine demum undulato (pallidiore aut vix distincto), intus incoloria, basi extus bysso albo breviusculo circumpubescente (radiante); sporae 8nae fusiformes 3—5-septatae, longit. 0,023—27 millim., crassit. 0,003—4 millim., paraphyses gracilescentes, epithecium et hypothecium incoloria. Jodo gelatina hymenialis dilute coerulescens, dein vinose fulvescens.

Supra saxa calcarea et argillaceo-schistosa in antro ad Kylemore (Larbalestier).

Species insignis, forsan e stirpe *L. cupreorosellae*. Spermogonia non visa.

---

sicut *Biatora heterella*, *rufella*, *symmictiza* etc. gonidia ita intrusa habent et quoque *L. deusta* Stenh., quae rectissime referenda est ad stirpem *L. aeneae* et *luteoatrae*, nec ad Lecanoras). Tunc juvenilia gonidia vel nascentia versus partem externam et maxime juvenilem visibilia sunt. Thalli quidem tenuiter granulosi vel pulverulenti maxime a syngonidiis constituuntur variae formae secundum species diversas (vid. exemplum optimum apud *Lecideam fuligineam* Ach.). — Jam olim in Flora 1859, p. 625, animadverti, in Schacht die Pflanzenzelle, t. 2, f. 12, thecas infra filamentose prolongatas delineari et ibi contortas ut omnino erroneum. Hodie idem error contortionibus etiam fortioribus repetitur a Domino Stahl in elementis primordialibus fabricae apotheciorum; nec solus tale inventum enuntiavit. Atque simul Lichenes alio affliguntur invento: nempe gonidia e pulvisculis subtilissimis (vel „microgonidiis" gonidiogenis) nasci in hyphis nidulantibus, quod fiducia facilis fiduciae facili credendum tradit. Quondam apparuit Bayrhofferimus. Nune prodit Minksianismus vel Minksio-Müllerismus, nam „Arcades ambo." Nescire videntur hi scriptores granulationes moleculares, ut dicitur in Anatomia generali. Dominus Müller etiam zoosporas qualescunque invenit in sporis Agarici (Flora 1878, p. 492), quod „animalcula" in memoriam revocat quae inventor quidam olim detexit in cellulis mucosis (vel globulis mucosis, leucocytis), granulationes moleculares motu Browniano agitatas pro animalculis microscopicis sumens. Talia in scholam remittenda sunt. Addatur quoque analogum inventum quod „certo judicio" cognito allatum exstat in Fr. fil. Lich. Scand. p. 7: „hyphae ramulos protrudunt — ramuli cellula terminalis subglobosa evadit et chlorophyllo repletur — in gonidium mutatur"! Sic res plausibiliter expeditur! Hoc observationem sistit verissime Friesianam; dolendum modo habeatur quod eandem antea D. Schwendener „demonstrare conatus est" (Fr. fil. l. c., qui eam recipit, „amplectitur et defendit", nam ipse „ita vidit"!). Quales observatores mirabiles! Bene viderunt, ut affirmant; visa bene interpretati sunt, nihil hoc evidentius; mox credentes (saltem inter se) habent. Quid magis optandum? Variis sic modis itur ad astra.

Universität Regensburg UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0208-9

13. Lecidea alabastrites Nyl.

Thallus albidus vel albovirescens tenuissimus continuus vel tenuis, passim minute subgranulosus; apothecia albida planiuscula (latit. 0,3—0,5 millim.), marginata (margine vix prominulo, obsolete dilutiore), intus concoloria (incoloria); sporae 8nae fusiformes 3—5-septatae, longit. 0,018—24 millim., crassit. 0,005—7 millim., paraphyses non discretae, epithecium et hypothecium incoloria. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose obscurata (thecae praesertim tinctae).

Supra muscos corticolas et corticem vetustum ad Kylemore (Larbalestier).

Affinis *Lecideae sphaeroidi*, colore autem et sporis saepe 5-septatis differens.

14. Lecidea submersula Nyl.

Thallus obscure cinereo-virens, tenuissimus, inaequalis, vel evanescens; apothecia lutèo-albida minuta (latit. 0,2—0,3 millim.), planiuscula, immarginata (humido statu pellucida); sporae 8nae fusiformi-oblongae simplices, longit. 0,008—0,012 millim., crassit. 0,001—2 millim., paraphyses non bene discretae, hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein sordide vinose rubescens (thecae praesertim tinctae).

Supra saxum graniticum in rivulo prope Limoges (Lamy), socia *Lecideae carneoglaucae.*

Sit e stirpe *Lecideae globulosae.* Spermatia oblonga minutula. Facies fere *Lecanorae polytropae* deminutae et ecrustaceae.

15. Lecidea tenebrescens Nyl.

Thallus cinereus, minute granulatus, sat tenuis, granulis subdepressis in hypothallo continuo nigro; apothecia nigra convexiuscula immarginata (latit. 0,5—0,8 millim.), juniora submarginata, intus alba; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,010—11 millim., crassit. 0,0045 millim., epithecium dilute fusconigrescens, paraphyses discretae gracilescentes, hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenialis intensive et persistenter coerulescens.

Supra saxum graniticum ad rivulum in regione Lemovicensi (Lamy).

Species faciei obscurae, forsan e stirpe *Lecideae instratae*, sed spermogonia non visa. Granula thalli cineracea subrugulosa (latit. vix 0,2 millim.), K flaventia. Epithecium acido nitrico dilute violascens.

(Schluss folgt.)

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0209-7

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1879

Band/Volume: 62

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 201-207